

34
 unā cum facinoroso poenam pati: aut duos plecti, cum unus deliquisset: cūq;
 eo qui sponte peccasset, criminis uacuo puniri. Insuper cum sola peccasset ma-
 ter, minimē æquum censebant, filium patri matriq; communē, luere maternā
 poenam. Etenim sepe repertū est, iniquos iudices mortis reos liberasse, dam-
 nasse infantes. In bellis uerō qui aut ordinem reliquissent, aut nō parerent du-
 cibus, non plectebantur morte, sed maxima omnium ignominia: qua postmo-
 dum uirtute & rectē factio deleta, ad priorem statum redibant. Ea lex & homi-
 nes assuefaciebat ut id dedecus, pessimum malum, morteq; ipsa grauius conse-
 rent: & simul ad monebat, mortuos nil iam uitā mortalium prodesse: ignomi-
 nia uerō affectos, plurium bonorum uirtutis desiderio causam futuros. His
 qui secreta hostibus reuelassent, linguam lex iubebat abscindi. **Ei qui mone-
 tam circumcideret, aut adulterinam cuderet, aut pōdus uel signa immutaret,**
 aut falsis literis inscriberet, aut de scripto demeret, aut falsas syngraphas affer-
 ret, ambæ amputabantur manus: ut quæ corporis pars peccasset, per uniuersam
 uitam luere poenam: ceteri quoque illorum calamitate moniti, à simili
 scelere abstinerent. **Asperæ etiam circa mulierum delicta poenę statutę erāt.**
 Nam ei qui mulierem liberam uolassent, uirilia execabantur, quoniam uno cri-
 mine tria haud parua scelera complexus esset, iniuriam, corruptelam, & libe-
 rorum confusionem. In adulterio spontaneo deprehensus uirgis cadebatur
 ad mille plagas, mulier nāq; mutilabatur. Quo dedecore uultus in cōtinentia
 maculatus, ea multaretur parte, qua maximē facies exornatur. Legū quæ ad
 hominum commercia pertinent, Bocchoridem latorem scribunt fuisse. Hæ-
 mandant creditis absq; scriptura mutuō pecunijs, si negarentur, stari debitoris
 iuramento, ut quæ iusiurandum ueluti religiosam rem magni aestimarent.
 Nam cum certum sit, ijs qui sæpius iurant, abrogari fidem: plurimi ducūt, ne
 boni uiri nomen amittatur, rarō ad iuramentum descendere. Legis insuper la-
 tor omnē fidem in uirtute constituens, bonis moribus inuicauit assueferi ho-
 mines ad probitatē, ne indigni fide uiderentur, debere. Iniqui quæ etiam putauit,
 eis à quib. absq; iure iurando credita pecuniā esset, de re sua iurantibus nō pre-
 stari fidem. **Fœnus quod ex scripto contrahebatur, prohibebat ultra contracti**
 mutui duplum exigi. Solutio ex bonis debitoris solum fiebat: corpus nō po-
 terat addici creditori. Putabat enim, oportere bona tantū subdita esse debitis:
 corpora, quorū opera & bello & pace uterent, ciuitatibus addicta esse. Nō e-
 nim æquū uidebatur, milites qui pro patriæ salute pericula subiret, pro usuris
 in carcerem duci, aut ob unius auaritiā in periculum agi patriæ salutem. Hanc
 quoq; legem uidetur Solon ad Atheniensēs transtulisse, quā Sifachthiā appel-
 lauit, decernens ne ob usuras ciuū corpora necerent. **Haud iniuria queruntur**
 quidā de nonnullis Græcis legūlatoribus, qui armā, aut aratrum, aut aliud
 quiduis operi necessariū prohibeant ob fœnus addici creditori: corpora uerō
 quæ his utūtur, tradi permittāt. Lex præterea priuatim de furibus apud solos
 Aegyptios hæc erat, iubebat eos qui furari uolebant, nomen suū apud princi-
 pem sacerdotū scribere, atq; eueltigio furtū ad eum deferre. Similiter quib. res
 furto erepta erat, apud eundem rei sublata tempus diem et horā scribere fene-
 bantur. Hoc modo facillē inuento furto, qui rem amississet, quarta multabatur
 parte, quæ daretur furi. Satius lator esse legis duxit, cum impossibile esset furta
 prohiberi, potius alicuius portionis q̄ totius rei amissę homines iacturam pa-
 ti. Nuptiarū non idem apud Aegyptios mos est. Sacerdotibus unam tantū
 uxorē ducerelicer, reliqui pro uoluntate & facultatibus plures habent. Quā
 legem conferre existimant propter hominum multitudinem, & ad felicitatē,
 & ad potentiam ciuitatum. Nullus ex eis, ne ex serua quidem empta genitus,
 spurcius habetur. Solum enim patrem existimant generis auctiorem: matrem
 & nutrimentum & locum infanti præbere. Arbores uerō fructum ferentes,
 præter Græcorū morem appellant mares: fœminas, quæ adiuuāt maturitatē.

Natos

recepta reue
 ad hunc
 falsifurios

re generatib;